



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

4. Per culpam Theologicam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPVT II.

De prima radice, seu causa Restitutionis, quæ est
injusta Acceptatio seu Detentio.

§. I. Premittitur Regula generalis.

1. **Q**uamvis ad duas reducantur varias restitutionis radices recte Theologi, nos, tamen ad priores reduimus, claritatis gratia, supra, in hujus lib. 8. n. 2. incipimus ergo à prima, quæ est injusta acceptio.

2. Regula generalis colligitur ex Doctrina, ac Doctrina citandis: Qui per actionem externè injustam, ac per culpam Theologicam gravem, proximi rem accepit, statim illam totam seu totum ejus valorem restituere domino obligatur, etiamsi ea res non extet, sed quomodo-cunque perierit. Hoc ultimum (etiamsi non extet) maxime est advertendum in hac radice: nam in alia, quæ est ex re accepta si res non extet, sed bona fide consumpta inveniatur, non est aliquid restituendum nisi illud, in quo factus sit quis locupletior, ut mox suo loco explicabitur. Ratio autem, cur ex præfenti radice restitutio sit semper exhibenda, est quia injustitia, quæ quis alienum accepit, & ex qua oritur obligatio faciendi æqualitatem, semper remanet, donec re ipsa fiat restitutio; ergo, donec ipsa fiat, semper remanet facienda.

3. Porro in hac Regula tot sunt, ut ita dicam, mysteria, quot verba: Primo dicitur, Per acceptionem injustam: Secundo, Externè injustam: Tertiò, Per culpam Theologicam: Quartò, Gravem: Quintò, Debere restitui statim: Sextò, Totam rem, seu valorem: Septimò: Etiam si perierit. Sigillatim hæc si percurramus, nihil erit præterea, quod pro explicatione hujus radices desiderandum sit.

§. II. Per actionem injustam.

1. **E**rrum est apud omnes onus restitutionis oriri solum ex culpa contra Justitiam. Ita Reg. loc. cit. num. 65. Val. 2. d. 5. quest. 6. p. 3. Azor. 3. p. lib. 4. cap. 9. per totum, Lugo tom. 1. de just. 1. disp. 1. sect. 3. n. 51. Bon. disp. 5. de rest. quest. 2. part. 3. §. unic. num. 2. aliter passim. Ratio est, quia sola illa inducit inæqualitatem, in rebus temporalibus, ergo sola illa ad æqualitatem ponendam obligare debet. Quare, quando quis vovit, v.g. Calicem dare Ecclesiæ, illum dando satisfacere quidem voto dicitur, sed non propriè restituere, quia tunc non operatur homo ad ponendam æqualitatem, quam ipse per iniquam acceptionem abstulit. An, non solum Justitia commutativa, verum etiam distributiva jubeat restitutionem, infr. cap. 4. §. 3. numer. 8. expl. abitur.

2. Ex hoc principio oritur: primò, ut qui elemosynam non offert extrême, & graviter indigenti: Secundò, qui prædictum Calicem, vel aliud quid vovit, tamen non dat: Tertiò, qui segetem, v. g. ab alio incensam non exstinguit, cum possit in casuram, quo non debeat, quia ejus Custos non est, nec suæ curæ rege commendata: Quartò, qui Iudex per allegata & approbata reum justè condemnat, se verbis, aliisque modis contra charitatem exhibitis; ad nullam restitutionem obligentur, quia non peccant contra Justitiam, sed solum contra alias Virtutes. Idem dic, si reus, etiam legitime interrogatus, negat veritatem, unde damnum sequatur, vel Pisco, cui cederent bona rei, vel alteri, &c. Ita Sanchez, l. 2. in decal. c. 22. num. 22. Bon. disp. 1. de rest. quest. 1. part. 1. num. 4. citans Vasquez Azor. Clavem. Reg. contra Sor. & Mol. neque enim ex Justitia commutativa Reus obligatur dicere veritatem, vel curare utilitatem illorum, &c. Alia multa similia dicuntur inferius: Et his deciditur celeberr. Quæstio, An acceptio pecunie

vel similis rei ex tunc causa, semper pariat in accepto obligationem restitutionis; Verum, hanc quæstionem lib. 7. cap. 5. ex hoc eodem principio satis, superius solvimus.

§. III. Per actionem externè injustam.

1. **N**us restitutionis oritur solum ex actione externè injusta. Ita Sanchez, in cons. lib. 1. cap. 4. num. 9. Less. lib. 2. cap. 9. dub. 16. vide etiam de Lugo de just. disp. 10. sect. 10. sect. 7. num. 15. id supponit disp. 8. sect. 6. num. 79. Val. Navarr. Sylv. cit. à Bani. Faust. in speculo Confess. disp. 4. quest. 10. Ratio est, quia obligetur quis ad restitutionem, debet fecisse iniquitatem in altero, at hæc non fit per meram intentionem actionis, sed per actionem externam materiam realem. Actus enim merè sistens in mente nihil operatur exterius.

2. Hinc, quando quis animo, & desiderio interno, ut alius depauperetur, sumit sine ulla culpa interna veras informationes contra illum de ejus bono. Quando quis internè gaudet sui inimici fidei, & incensas ab alio fuisse. Quando Iudex profert sententiam justam contra reum suum inimicum, gaudens eum in egestatem deici, non obligatur ad restitutionem, quia ex sola interna culpa illud onus sequi quam nasci potest. Imò, si idem Iudex profert sententiam deperandam esse justam, ad nihil restituendum tenetur, quia illa injusta sententia non fuit materialiter, & realiter injusta, sed solum formaliter, & ex conscientia interna. Pari modo, si ego furor à te vestem, quam puto tuam, sed deinde adverte esse meam, quam auferendo peccaverim ex affectu peccati injulitiam propter conscientiam internam; tamen propter prædictam rationem non obligor ad illam restituendam: Et, occidit fratrem, putans esse meum inimicum, quem credere intendebam, non teneor ad restitutionem ejus homicidio, quia actio mea externa fuit circa fratrem, nullo modo circa hominem, quem externè non occidi. Vide de hoc sup. libro sexto, capite quarto, §. tertio num. 23.

§. IV. Per culpam Theologicam.

1. **C**ulpa Theologica dicitur ea, quæ est contra Deo, in conscientia, quam scilicet Theologus spectare potissimum solent: nam culpa, quam præstant Jurista, vocaturque Juridica, est ea, quam Jurapro foro extrinsecò considerant, & juxta quam sententiam ferunt.

2. Theologica est duplex: Alia mortalis, variè alia. Juridica triplex, lata, levis, levissima: lege Atia 3. part. 1. c. 4. & passim. Lata est omni diligeniæ, quæ solent in simili adhibere prudètes, diligentesque. Levis, quam solent diligentiores. Levissima, quam diligentissimi. Si quis v.g. exiens domo, relinquit ostium apertum, vel non clausum, unde fures domum expilent, dicitur commisisse culpam latam; Commisisse leviem si clausum sed ita, ut non difficulter posset aperiri; Commisit levissimam, si claudere quidem putavit, sed non tentavit, an bene fuerit clausa, nec ejus custodiam commendavit vicinis. Porro lata culpa subdividitur in latiorè, & latissimam; latissima, quæ etiam dicitur dolus apertus, est, cum quis omittit, vel aliquid agere animo, ut damnum, quod prævidet, alicui sequatur. Quòd si prævidet, sed non intendit, dicitur dolus presumptus, latior culpa, quæ confundi, sæpè cum lata solèst, cum non ponitur debita moralis diligentia, & damnum quod sequitur, sine advertentia, & prævisione sequitur. His præmissis:

3. Aliterò injustam acceptionem, ut pariat in foro conscientie onus restitutionis, debere esse Theologicè culpabilem, nec sufficere juridicè. Ita Mol. tom. 3. d. 1. §. 1.

1. *Leff. l. 2. c. 7. dub. 6. n. 27. Vasq. de refut. c. 2. §. 2. dub. 2. d. 3. & 6. Dicitur. l. 2. de Duf. Tract. 2. d. 3. & 6. 2. alioque passim.* Ratio est, quia tota obligatio in hac radice oritur ex delicto quando committitur in injusta rei alienae usurpatione; ergo, ubi in conscientia tale delictum non committitur, nec obligatio restitutionis oritur.

4. Hinc primò; Si quis, & cum moderamine inculpate torula se defendat, aliquod damnum alteri facit, non obligatur ad restitutionem. Secundo, Si Militem obediens pugnavit in bello à se prudenter iusto non obligatur in conscientia, ex Mol. l. 1. c. 1. ubi restituitur dāna in praelio allata, nisi forte, ut infra dicitur, ratione rei acceptae extantis, vel in quo fuerit factus ditor. Tertiò, Si quis credens bona fide rem suam, illam accipiat, consumatque, nec in aliquo delicto factus sit non tenetur ad restitutionem ullam. Quare, quando communiter Doctores docent, quod culpa inducere restitutionem obligationem, ideo dicunt, quia communiter lata culpa diffculter invenitur, si culpa Theologica, si tamen hac re vera abstinere non inducitur. Lege Vasquez de refut. cap. 2. §. 1. 2. num. 19.

§. V. Per culpam Theologicam gravem.

Ad inducendam obligationem restitutionis, debet adesse culpa Theologica gravis, hoc est culpa in conscientia mortalis. Pro cuius explicatione, præmitto injunctam acceptationem posse esse venialem ex duplici causa. Primò, ratione parvitatis materiae, ut si quis obnoxius furetur: Secundo, ratione imperfectae animadversionis, seu imperfectae deliberationis, ut si quis sine perfecta consideratione, quod res sit aliena, illam accipiat, vel consumat.

1. Aliter primò, Acceptationem injustam venialiter, & (propter paritatem rationis) damnificationem venialem ex sola parvitate materiae, parere quidem onus restitutionis, sed sub veniali. Ita Sanchez, l. 2. in Decal. c. 23. n. 6. ubi, contra Vasq. de refut. cap. 2. §. 2. n. 20. & 25. Ratio est, quia si restituere, detineres rem alienam, invito domino: sed quia solum retinere rem levem, non nisi leviter peccares.

2. Aliter secundo, Ex injusta rei, quantumcunque gravis acceptatione, seu damnificatione veniali, ratione deliberationis, non oriri obligationem restitutionis sub mortali, imò satis probabiliter, nec sub veniali. Ita Sor. l. 4. de iust. q. 7. ar. 2. Sa, v. Restitutio, Leff. l. 2. cap. 7. dub. 6. n. 27. Sanchez, Leff. Henricus apud Dicast. l. 1. dub. 2. nu. 56. contra ipsum Dicast. alioque passim. Ratio fit, quia actus moralis imperfectus, qualis est de liberata acceptio, non potest esse causa obligationis mortalis perfectae, qualis est obligatio certa quatenus, & præcipue, qualis est mortalis obligatio restitutionis materiae gravis: Equae enim proportio esset, si per actum factum à semidormiente, cui assimilatur, qui minus deliberat agit, obligaretur ad subeundam poenam gravem, sub onere certo peccati mortalis: Contra, quia ex Sanchez, lib. 4. in Dec. cap. 1. num. 18. & Sanchez, tom. 2. de Relig. 1. de essentia voti, cap. 6. & lib. 2. de poenar. c. 7. neque promissio facta homini, neque votum factum Deo, nec iuramentum, nec præceptum Superiorem procedant ex imperfecta deliberatione, inducunt obligationem ullam, ne venialem quidem: ergo neque injusta acceptio, pari modo ex imperfecta deliberatione procedens.

4. Ex hac conclusione sequitur: Qui subita ira percussit per actionem malam tantum venialiter hominem occidit, non obligari ex Leffio, l. 2. c. 2. num. 28. ad ullam restitutionem: Qui per negligentiam venialem finit getem proximi comburi: Qui famulus per similem levem negligentiam relinquit fotes domus Domini apertas, unde fures domum expilant: Qui custos nemorum,

vineae, vectigalis per levem culpam non recte custodit, & similes, non obligari ad restitutionem, quia supponitur solum venialiter peccasse, unde tantum onus certae obligationis sub mortali nequit progigni. Adverte tamè per diligehter, negligentiam, quae in uno genere actionis, est leviter culpabilis, esse gravem in alio, ut *superius lib. 1. cap. 3. §. 7. v. Depositum*, per aliam occasionem explicuimus. Qui alterius famam gravem tollit, per inadvertentem venialiter locutionem, ita etiam se habere, nonnulli apud Leff. l. 2. c. 11. d. 2. num. 118. affirmant: nam solum ad restituendam famam cum tunc solum obligat ex virtute Charitatis, cum commodè potest. Verum, an ex alio capite is obligetur ex Iustitia, dicitur l. 9. cap. 3. §. 3. num. 8.

5. Aliter tertiò: Eum, qui post multa furtula tandem per ultimum attingit materiam notabilem, obligari sub mortali ad restitutionem. Ratio est, quia tunc detentio tot furtulorum simul unitorum, est detentio quantitatis notabilis, atque adeò mortalis, ut *supra* vidimus; quare non est mirum, si stante assertione prima, & secunda, ster hæc tertia, in qua supponitur detentio perfectè deliberata rei notabilis: vide quae dixi, cum de *furio*, c. 3. §. 1.

6. Sed ecce hic insurgit molesta obiectio: Furetur quis modica, illaque consumat, quibus consumptis, non advertens ad præterita furtula furetur aliquid etiam modicum, quod item consumat, sed postea advertat illa furtula cum hoc ultimo consumasse quantitatem notabilem, ac ipsum notabiliter proximo nocuisse, certè hunc teneri ad restituendum sub mortali, quia notabiliter proximo nocuit, fatentur omnes, & tamen nulla præcessit culpa mortalis: ergo contra assertionem secundam, aliquando à peccato veniali mortalis obligatio oriri poterit.

7. Respondeo propter hoc argumentum concedunt nonnulli (ut concedebat P. Joseph à Costa amantissimus præceptor meus in Theologicis, in *suis Manuscriptis de iust. & iur. hic*) ex veniali posse non raro procedere obligationem restituendi sub mortali. Sed minus apta concessio, si enim id semel concedas, principium illud sacris commune jam destruitur, quod ex actu veniali; seu levi propter improprietatem, oriri nequeat gravis obligatio. Nonnulli dicunt, tunc oriri obligationem ex detentione mortali: sed nihil dicunt, quia possumus supponere illum statim, atque advertit, velle restituere; ergo tunc nulla a terit culpa retentionis. Nonnulli denique cum de Ligo *tom. primo, de iust. d. 8. sect. 5. num. 69.* docent tunc obligationem sub mortali oriri ex contractu id est, ex consensu implicito, nam quando quis committit furtula, censetur velle subire poenam necessariam, & essentialiter illi connexam, id est, poenam restitutionis illius materiae ablata: cum igitur nunc advertat esse materiam notabilem, ex illo consensu obligatur omnis reddere, sicuti, qui promittit Julium unum per diversas vices alteri, debet omnes, si notabilem consensit quantitatem sub mortali tradere. Sed nec responsio sedet; nam, præter cætera, omnes Authores, *sup. hoc c. 2. §. 1. n. 1.* docent hanc radicem injustae acceptationis fundare obligationem restitutionis formaliter, & immediate ex ipsa culpa, nec recurrunt ad consensum implicitum, qui certè etiam adest in omni injusta acceptatione cuiuscunque gravis quantitatis, nec multò minus recurrunt ad poenam: obligatio enim restitutionis in fure non est propriè poena, sed morale debitum inducendi æqualitatem, &c.

Facilior ergo solutio hujus difficultatis fit hujusmodi: Sret, etiam hunc non obligari ad restitutionem sub mortali ex vi præteritarum acceptationum, quae omnes supponuntur veniales. Quid inde? Restituat statim, nec unquam mortaliter peccabit; si autem statim restituet, non dicitur obligationem mortalem restituendi à se contractam extinxisse, nunquam enim illam haecenus contraxit, ut dictum est; Sed dicitur præcavisse, ne incideret in mortalem obligationem, si restitueret.